

# LIBER SEPTIMVS

## STELLARVM FIXARVM MOTVS

uariabilitatem tam in longitudine quàm in  
latitudine demonstrando enucleat.

### PROPOSITIO PRIMÀ.



QVOD STELLÆ FIXÆ ZODIA-  
ci non modo inter se, uerumentiam ad eas quæ  
extra zodiacum sunt stellas, distantiam inuaria-  
tam habeant, experimento docere multiplici.

¶ Quod huic rei testimonium adduci potest, non est  
nisi à parte Abrachis. Nam ipse ante se paucas admo-  
dum de stellis fixis considerationes obseruatas reperit, eas uidelicet quæ  
fuerunt Arfatilis & Timocaris, tales quidem quibus tute credi non pote-  
rat. Figuras tamen stellarum ad inuicem, tam earum quæ in zodiaco sunt  
inter se, quàm earundem ad eas quæ extra sunt, quas ipse Abrachis cogno-  
uit, & scriptas reliquit, adhuc hodie inuariabiliter mansisse uidemus. Dixit  
enim quòd stella in labio meridiano cancri, & stella lucida quæ antecedit ca-  
put hydrae, & stella lucida in cane antecedente, sunt ferè secundum rectitu-  
dinē, nisi quòd media earum tendit ad meridiem digito uno & in dietate  
digiti, & longitudines inter eas ferè sunt æquales. Item earum quatuor quæ  
sunt in capite leonis, duæ orientales, & stella ante caput hydrae sunt in recta  
linea. Item quæ est super cauda leonis, & ea quæ super cauda ursæ, extrema  
& lucida sub cauda sunt ferè in linea, nisi quòd media & orientior à linea  
per digitum unum. Item linea quæ recta transit à stella sub cauda ursæ, ad  
stellam in cauda leonis, continuat duas stellas quæ sunt inter eas. Talium  
figurarum plures scripsit, quas & Ptolomeus suo tempore mansisse uidit.  
Et cum inter Abrachim & eum 200. & 60. anni circiter fluxerunt, & figu-  
ras in tanto tempore nihil mutatas sensisset, conclusit eas semper inuaria-  
tas manere. Et ut etiam posterius firmius id scire possint, addidit figuras alias,  
quas suo tempore considerauit. Inquit enim trium stellarum quæ sunt in ca-  
pite arietis, duæ septentrionales & stella lucida quæ est in genu meridiano  
deferentis caput Algol, & stella dicta Alhath, sunt super lineam rectam.  
Item linea recta transiēs Alhath & Aldebaran pertransit stellam quæ est  
in pede anteriori retinētis habenas, ita ut modicum intersit. Item Alhath  
& stella quæ communis est cornu tauri & pedi retinentis habenas, & stella  
quæ est in humero dextro orionis, sunt super lineam rectam. Similes in alijs fi-  
guras scripsit, quas & hodie nos mansisse uidemus. Cum tamen interual-  
lum temporis à Ptolemæo ad nos mille tricentos & circiter uiginti annos  
cōtinuat. Quibus rebus satis compertum habemus, quòd omnium stellarum  
fixarum ad inuicem sit una & eadem habitudo semper, & motus earum sit  
motus cœli unius, in quo constituuntur.

### PROPOSITIO II.

Stellas fixas alio quàm diurno motu moueri, motumq; ea-  
rum ad signorum successione tendere.

¶ Huius rei argumentum ex hoc, quòd distantia earum in longitudine à  
punctis Solstitialibus & æquinoctialibus non manet eadem semper, sed

L j̄ crescit